



SUPREMUM  
SIGNATURAE APOSTOLICAE  
TRIBUNAL

PALAZZO DELLA CANCELLERIA  
00120 CITTÀ DEL VATICANO

**Prot. N. 47554/13 CA**

**BOSTONIEN.**

***Reductionis in usum profanum ecclesiae SS.mae Trinitatis***

**(D.na C. Quagan et alii – Congregatio pro Clericis)**

**DECRETUM**

1. Decreto diei 24 iunii 2008, Em.mus Archiepiscopus Bostoniensis decrevit suppressionem paroeciae personalis SS.mae Trinitatis pro Germanicis, statuens ut cura pastoralis paroecianorum assumeretur a paroecia vicina Cathedralis SS.mae Crucis. Ad rem in decreto, quo H.S.T. Congressus die 13 novembris 2009 recursum ad disceptationem non admisit, legitur:

“Considerato, relate ad assertam reductionem ecclesiae SS. Trinitatis ad usum profanum, quod:


- ex actis non constat de reductione ecclesiae ad usum profanum seu de eius clausura definitiva ab Em.mo Archiepiscopo decreta et a Congregatione pro Clericis confirmata;

- quovis in casu, plene servanda erunt, si et quatenus, praescripta can. 1222, necnon, si ecclesiae alienatio contemplatur, omnia a lege universali et particulari statuta, haud excluso, si et quatenus, can. 1292, § 2, salvo iure fidelium, quorum interest, casu quo habebitur ad rem decisio, eandem ad normam iuris impugnandi”.

2. D.na Christine Quagan et alii fideles tunc ab Em.mo Archiepiscopo petierunt ut ecclesia denuo ad cultum divinum aperiretur. Recepta responsione nondum latam esse ullam decisionem in re, ipsi adversus assertum silentium Em.mi Archiepiscopi ad Congregationem pro Clericis provocaverunt, quae autem recursum die 6 iunii 2012 reiecit.

3. Ulterioribus notitiis circa ecclesiam SS.mae Trinitatis interea ab Em.mo Ordinario collectis et cum membris consilii presbyteralis communicatis, hoc consilium in sessione diei 28 iunii 2012 habita, post quaestionem rite discussam, reductionem ecclesiae in usum profanum non sordidum commendavit, quam Em.mus Archiepiscopus die 10 iulii 2012 decrevit.

Variis instantiis D.na Quagan et alii tunc revocationem decreti vel saltem eius suspensionem petierunt et die 9 septembris 2012 penes praefatum Dicasterium recursum



hierarchicum interposuerunt, quem, post responsionem negativam die 2 octobris 2012 a Rev.mo Vicario generali datam, confirmaverunt.

Audito dein Em.mo Archiepiscopo, consideratis etiam memorialibus a Cl.mis Advocatis recurrentium exhibitis, Congregatio pro Clericis die 26 novembris 2012 recursum reiecit tamquam fundamento in facto et in iure carentem.

4. Quam adversus decisionem, instantiis mense ianuario 2013 datis, D.na Quagan et alii tamquam olim christifideles ecclesiae SS.mae Trinitatis recursum coram H.S.T. interposuerunt, etiam suspensionem executionis actus impugnati petentes.

Actis dein petitis, iisque receptis et examini subiectis, audito Rev.mo Promotore Iustitiae deputato, decreto diei 9 aprilis 2013, H.S.T. recursum in limine reiecit quia indubie atque evidenter carebat fundamento, sed Cl.mus Patronus recurrentium ad Congressum H.S.T. provocavit. Re dein rite discussa inter Cl.mos partium Patronos et Rev.mum Promotorem Iustitiae deputatum,


#### SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

5. Praemisso quod obiectum recursus coram hoc Supremo Tribunali est asserta illegitimitas decisionis Congregationis pro Clericis diei 26 novembris 2012 (cf. art. 34, § 1 *Legis propriae*);

6. Attento quod:

- Ecclesia est “aedes sacra divino cultui permanentemente destinata” (can. 1214) seu domus Dei, ideoque haudquaquam leviter considerari potest res venalis. Quam ob rem ecclesia in usum profanum reduci potest solummodo vel ad normam can. 1222, § 1, seu si “nullo modo ad cultum divinum adhiberi queat et possibilitas non detur eam reficiendi”, vel ad normam can. 1222, § 2: “ubi aliae graves causae suadeant ut aliqua ecclesia ad divinum cultum amplius non adhibeatur, eam, scilicet Episcopus dioecesanus, audito consilio presbyterali, in usum profanum non sordidum redigere potest, de consensu eorum qui iura in eadem sibi legitime vindicent, et dummodo animarum bonum nullum inde detrimentum capiat”;

- Iuxta iurisprudentiam H.S.T. “norma canonica relate ad aedem sacram observanda exigit ut iudicium Episcopi de ecclesia in usum profanum redigenda fundamento obiectivo, scilicet causa gravi, innitatur. Hoc in casu, distinguendae sunt causa ad paroeciam supprimendam et causa ad ecclesiam in usum profanum redigendam” (Sent. H.S.T. diei 21 maii 2011, *Loiden.*, prot. n. 42278/09 CA); alia enim est causa iure requisita pro suppressione paroeciae, alia pro reductione ecclesiae in usum profanum; quam ob rem etiam diligenter distinguere oportet inter rationem procedendi in paroecia supprimenda et rationem procedendi in ecclesia in usum profanum redigenda; hac quidem in re sufficere “nequeunt rationes motivae characteris generalis uti v.gr. reductio numeri sacerdotum,



numerus elevatus aedificiorum sacrorum. Necessarium est in singulis casibus probare reapse haberi causas graves” (Sent. H.S.T. diei 21 maii 2011, *Syracusen.*, prot. n. 41719/08 CA), quae gravitas proportionata sit ipsi gravitati negotii, seu reductioni aedis sacrae in usum profanum;

7. Quoad assertam violationem legis in procedendo, eo quod Em.mus Archiepiscopus die 28 iunii 2012 non audivisset ipsum consilium presbyterale sed aliud gremium, perspecto quod praesentia D.nae D. Dillon, munere peritae fungentis, haudquaquam sessionem consilii presbyteralis mutavit in sessionem alius coetus;

8. Quoad aliam assertam violationem legis in procedendo, eo quod auditio consilii presbyteralis utcumque vacua fuerit, perpenso quod:

- H.S.T. in decreto diei 13 novembris 2009 decrevit ex actis non constare de reductione ecclesiae in usum profanum seu de eius clausura definitiva ab Em.mo Archiepiscopo iam decreta et a Congregatione pro Clericis confirmata;

- Quidquid est de notitia die 4 martii 2012 inepte publici iuris facta et fere statim revocata, necnon de explicationibus haud cogentibus ad rem a Curia Bostoniensi tunc datis, ex actis constat Em.mum Archiepiscopum necessarias notitias et vota collegisse, sive ante sive post dictam notitiam divulgatam, atque votum informatum et ponderatum a membris consilii presbyteralis exquisivisse, ad normam can. 1222, § 2, antequam decisionem definitivam die 10 iulii 2012 tulerit, ita ut haud actum sit de mera approbatione pro forma decisionis definitivae iam anno 2008 latae;


9. Quoad assertam violationem legis in decernendo ob defectum causae gravis, de qua in can 1222, § 2, considerato quod:

- Ex actis constat iam anno 2003 praevisum fuisse ut ecclesia proximis decenniis nonnullis reparationibus egeret;

- Bona nummaria sat perspicua, quae paroecia Cathedralis SS.mae Crucis ex unione paroeciarum obtinuit, partim iam soluta sunt ad ecclesiam conservandam, dum reliqua pars non sufficit ad reparationes necessarias efficiendas;

- Constat item ex actis paroeciam Cathedralis SS.mae Crucis, debitis oneratam, non amplius posse propriis copiis et oblationibus fidelium expensas conservationis ecclesiae SS.mae Trinitatis diu sustinere, eo vel minus expensas reparationum in dies urgentiorum solvere;

- Non probatur Archidioecesim Bostoniensem medio saeculo elapso bona immobilia magni pretii in paroecia SS.mae Trinitatis exstantia in donum recepisse, nec aliunde constat eam in casu obligari posse ut necessitatibus ecclesiae SS.mae Trinitatis subveniat;



- Tempore tandem impugnatae Congregationis pro Clericis decisionis non praevidebatur praesto esse alia subsidia ad ecclesiam diu conservandam, dum laudabilis conatus a recurrentibus recenter sed sero susceptus ad ea reperienda non demonstrat ea nunc reapse praesto esse;

- Rebus sic stantibus, non probatur defectus requisitae gravis causae in casu;

10. Cum, ergo, nullum par adducatur argumentum ad rationes motivas in decreto Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 10 septembris 2012 submovendas;

Praetermissis aliis forte animadvertendis;

Viso art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressibus diebus 16 octobris et 15 novembris 2013 coram infrascripto Praefecto habitis,

**decrevit:**


**Confirmandum esse et facto confirmari decretum Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 9 aprilis 2013, quo recursus reiciebatur ob evidentem et indubium defectum fundamenti.**

Pro expensis retinetur cautio a partibus recurrentibus in arca H.S.T. deposita. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 15 novembris 2013.

  
CONCORDAT CUM ORIGINALI  
die 15 novembris 2013  
  
Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis  
Moderator Cancellariae

  
Raimundus Leo Card. BURKE, Praefectus

+ 

+ Franciscus DANEELS, o. praem., Secretarius